DE

DIABETE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE LITERARIA

FRANCOFVRTENSI

DOCTORIS MEDICINAE

HONORES AC PRIVILEGIA LEGITIME

CAPESSITVRVS

A. D. VIII. APRILIS cIↃIↃCCC.

PVBLICE DISSERET

ERNEST. WILH. REINH. WURFFBAIN

MALTSCH. - SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

ILLVSTRISSIMO CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

CHRISTIANO GODOFREDO MORGENBESSER,

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI EXPERIENTISSIMO

COLLEGII MEDICI ET SANITATIS PROVINCIALIS DECANO, PHYSICO PRIMARIO VRBIS WRATISLAVIAE, ANATOMIAE ARTISQVE OBSTETRICIAE PROFESSORI, MEDICO PRAESIDII MILITARIS,

FAVTORI AC PATRONO

SVMMOPERE VENERANDO

HANC DISSERTATIONEM

DEVOTA MENTE

CONSECRAT AC DEDICAT

AVCTOR.

PROOEMIVM.

Sperans, cenſurae non diligenti ſubiectam iri, hanc Diſſertationem publice edere, audeo. Nec venire mihi, Medicinae tironi, in mentem, partem clari ſcriptoris agere, ſed me ſcribere, vt officium, quod cuiusuis pro gradu Doctoris Medicinae diſputantis eſt, impleam, vnusquisque, vtputo, intelliget. Cui an vere ſatisfecerim,

docti-

doctiſſimi lectores iudicent? Ne quotidianum pertractem, Diabetam eiusque curationem deſcripſi, quoniam de eodem paucae editae ſunt Diſſertationes. Qui cum morbus ſit rariſſime obſeruatus, mihi paucas eodem coniungenti experientias, lectores eſſe ignoturos, mihi eſt perſuaſum.

§. I.

Hypotypoſis Diabetes.

Diabetes eſt morboſa ſe — et excretio, maioris vrinae multitudinis, quam proportione ſumtarum potionum eſſe debeat, quae cum melli ſimili guſtu odoreque ac conſumtione totius corporis eſt coniuncta. Quamquam in hypochondriacis atque hyſtericis maxima multitudo vrinae ſaepiſſime excernitur, hoc tamen diabetes non nominari poteſt, niſi in eadem odor dictus guſtusque ſentiantur. Initio ſemper eſt ſine febre, medio autem febris eidem aſſociatur. Hic morbus ad eos pertinet, quorum pauciſſimae nobis ſunt obſeruationes; quae non verae raritati eiusdem, vt mihi videtur, ſed potius negligentibus medicis ſint adſcribendae, quum plerique eorum, quantitatem vrinae aegrotantium non curent. Nam non cogitari poteſt, et antiquiſſimis temporibus homines hoc morbo non laboraſſe. Quum anno 1481. puella eodem laborauiſſet: medici hoc malum nunquam obſeruatum miraculum

raculum viderunt. MARCVS GATINARA *) et CARDANVS **) obferuatores fuerunt eiusdem, quod primum de diabete fcribendi, illis occafionem dedit. Nunc fententiam meam, raritatem huius morbi a negligentibus medicis pendere, effe veram, nemo dubitabit.

§. II.

Symptomata huius morbi.

Diabetes partim aegrotantes cum prodromis, partim fubito inuadit. Prodromi antecedentes funt Ifchuria vehementiffimis renum doloribus comitata, maxima anxietas interna, ardor feruens omnium vifcerum abdominalium, pulfus durus et fpafticus, ariditas cutis, extremitatum conuulfiones, perpetuum pervigilium et fitis vehementiffima. Saepiffime tantum fymptomata hypochondriaca aut hyfterica antecedunt. Singulares vero renum dolores, quafi effent difcerpti, femper antecedere folent. Tum in morbo ipfo incipiente haec fymptomata animaduertuntur. Aegrotantes

*) De curis aegrot. tot. corp. p. 143.

**) De rer. variet. libr. VIII. c. 44. p. 165.

tantes ſubita oris ariditate et incredibili ſiti, ſepoſito poculo, mox reuertente, moleſtantur. Eo magis ſitiunt bibuntque, quo ſaepius vrinant. Interdum initio morbi, interdum iamiam multa vrinae excreta, ſiti vexantur. Pulſus aliorum eſt durus et intentus, aliorum tardus et debilis. Cutis omnium corporis partium eſt ſicca. In permultis adſunt obſtructiones, in nonnullis autem diarrhaea, quae non raro erat critica, diabetae aſſociatur. Alii appetitum habent morboſum, alii eum plane amittunt. Saepe aegrotantibus tam magnus eſt appetitus, vt a ſolitis cibis non ſatiari poſſint, ſaepius vero nauſeam habent omnium ciborum, et nihil, quam ſemper bibunt. Alii medici, et hydrophobiam cum diabete coniunctam obſeruaſſe volunt Febris medio morbi aduenit; alii autem initio ſe obſeruaſſe praetendunt. Commemorabile eſt, ptyalismum quoque, cuius ſaliua dulcis erat, interdum eſſe animaduerſum, Typus febris plerumque eſt tertianus. Deinde ingens vrinae multitudo exinanitur, quae modo eſt diluta, vt aqua, pellucida, aut ſubuiridis ſine ſedimento; modo turbida et non pellucida, atque quaſi abroſa in eadem natare videntur. Interdum crura torpeſcunt. Aegroti ex cruribus frigus, veluti fluidum frigidum, in veſicam vrinariam

ad-

adſcendere, ardorem ventriculi, viſcerum abdominalium calorem dolorificum, nonnunquam dolores ſurarum pedumque, atque virium omnium inopiam ſentiunt. Cutis ſit ſquamoſa et non raro vel impetigines hunc comitantur morbum. Si antea pulſus fuiſſet durus et intentus, hoc tempore ſit debilis, mollis et frequentior. Nunc debilitas quotidie augetur et ardor aliaque ſymptomata noctu exacerbantur. Noctu plurimum vrinae ſolet exinaniri. Inter haec ſymptomata labia oris, lingua et oeſophagus in plerisque ardeſcunt; vox rauca ſit et languida ac tenacem mucum ſaliuamque ſpumantem in gutture reperimus. Nonnunquam vehementiſſimum perpetuumque dolorem in oeſophago patiuntur, quocum in lingua et labiis vlcera apparere ſolent. Quamuis lingua aut naturali aus frequenter bibendo perfecto, fluido eſt oblita; tamen hi aegrotantes ſiti, vt iamiam commemoraui, maxime moleſtantur. Sitis nullo in alio morbo et in ipſa acutiſſima febre vehementior eſt, quam in quadam diabetes ſpecie. Hoc in ſtatu infelices horrendiſſimo malo inuaſi ne per momentum quidem dormire poſſunt, quoniam et vrina vrgente et ſiti ſemper excitantur. Quare facile intelligi poteſt, vires die ex die decreſcere, ariditatem vero cutis chartae pergamenae ſimi-

ſimilis et tabes increſcere debere. In tali fluxu fluidorum, tamen oedemata pedum crurumque et collectio aquarum in cauitate abdominis oriuntur. Interdum diabetes et hydrops inuicem ſecum communtantur, interdum miſeria diarrhoea augetur. Tandem nocturnus hecticus calor, debiliſſimus pulſus, defectus appetitus, anxietates, tremor, ignauia virium vitalium, lypothymiae raucedo aut plane extincta vox, niſi curentur, huic terribili et atroci cruciatui morte finem faciunt optatum.

Sed decurſus eiusdem plerumque eſt longinquus et diuturnus, ita, vt hi infelices per plures annos crucientur. Nam exempla diabetes acuti vllis ſunt rariora. Quum huic morbo tam longinquus ſit decurſus, vrinam interdum a ſana non multum differre, non eſt admirandum.

§. III.

Quantitas vrinae.

Quantitas vrinae multitudinem ſumtarum potionum, vt iamiam ſupra dixi, praeter finem morbi, vbi minus exinanitur, fere ſem-

ſemper ſuperat. *) Cvmmenivs **) vrinam horis XXIV. excretam hoc tempore bibita ter pondere ſuperaſſe, commemorauit. Morgagni ***) 42 libras vrinae vno die vrinatas ſe vidiſſe, affirmat. Illuſtriſſimus Frank †) puellam, quae tantum libras ſeptem fluidorum alimentorum et potionum ſumſerat, triginti et ſex pintas vrinae edidiſſe, vidit. Alii multo maiorem multitudinem ſe vidiſſe, nos certos faciunt. Porro praetendit clariſſ. Frank, multitudinem vrinae in Diabetis, quos ipſe obſeruauerit, dimidiam partem potionum, et paucis diebus totius corporis pondus multo ſuperauiſſe.

§. IV.

De dulcedine aliisque proprietatibus vrinae diabeticae.

Elementa quoque huius vrinae, quod veteres ignorarunt, ſecundum nouiſſimo tem-

*) Cawley *in Sammlungen für practiſche Aerzte. B.* 13. S. 113.

**) Eph. nat. cur. de et ann. 3. obſ. 183.

***) Epiſt. X. l. I. n. 15.

†) Epit. de cur. hom. morb. Th. 5. S. 40.

tempore facta experimenta plane a ſana diſcedunt. Nam ineſt dulcedo ipſumque ſacharum, quam ob cauſſam dulcem habet odorem etguſtum quem THOMAS WILLIS *) prtmo ſenſit; qua obſeruatione niſus propriam fermentationis theoriam accepit. Sacharum in tanta quantitate in illa inuenitur, vt chemici ex vna libra fere ſachari vnciam ſeparare poſſint. Alii quidem, pluribus in caſibus vrinam diabeticam ſine dicto odore et guſtu ſe reperiiſſe, nos certos facere volunt; tamen, quum dulcem guſtum odoremque cum hypotipoſi diabetes, vt ſupra memini, ſemper coniungere debeamus, huic praetentioni maximo iure contradicere poſſumus. Illum guſtum cum eodem ſucci ex betula vere terebrata optime comparamus. Ars chemica nobis oſtendit, ex illa igni expoſita, olentes exhalari vapores, et, vsque ad certam craſſitudinem inſpiſſatam melli, vel, vt acuratius dicam, ſacharo ſimilem fuſcam ſubſtantiam oculis offerre. Qua magis inſpiſſata, dein ſoluta, ſacharum, quod par eſt, puritate, guſtu ac odore, et omnibus proprietatibus eidem ex arundine ſacharifera praeparato, accipimus. Calori digeſtionis expoſitum, dum gas carbonaceum expediatur, et in acidam et

*) Pharmaceut. ration ſect. IV. c. 3. p. 207.

et vinoſam tranſit fermentationem. In medio vaſis nubecula formatur alba, quae tandem deſidit in fundum. Haec materia ſacharo ſimilis in ſpiritu vini non ſoluitur, ſed dura fit et friabilis; at aqua communis eam facillime ſoluere valet, quare, nihil ineſſe bilis, quae hoc modo diſſolui ſoleat, concludimus. Nec Alcali, nec acidum vitrioli hanc vrinam mutare queunt, quod, eam ammoniaco plane carere, clariſſime demonſtrat. Sed vnde ille odor et guſtus? vnde ſacharum?

§. V.

De origine dulcedinis huius vrinae.

Phyſiologia nos docet, chilum ſingulari dulcedine eſſe praeditum. Quam ob rem illam glandulis lymphaticis hac ratione, tribuendam eſſe, credo: Vaſa lymphatica et omnes eorumdem glandulae, nimia incitabilitate laborantes, chylum ſufficienter aſſimilare nequeunt, ita, vt ſacharum reliquis elementis antecellat. Ceterum pathologicorum humoralium conſuetudine tam longe non procedere debemus, vt nominata vaſa tam debiles habeamus, vt, bibita per vrethram immutata exire, putemus. Verum enim vero ſcirem, qua ratione cogitare poſſimus

ſſimus, potiones cum omnes corporis glandulas, maxima vi aſſimilandi praeditas, tum omnes venas arteriasque plane inaſſimilitatas perfluere? SCHMID *) quidem narrat, cereuiſiam quandam, quae dicitur Breyhahn, immutatam eſſe exinanitam, ſe vidiſſe. At equidem puto, illum clariſſimum Virum ſimilitudinem vrinae diabeticae odore dulci, qui hoc in morbo ſemper animaduertitur, feſelliſſe. Haec ſufficiant de origine dulcedinis vrinae diabeticae, nunc pauca.

§. VI.

Quomodo quantitas eiusdem pondere ac multitudine bibita ſuperare poſſit.

Incomprehenſibile videtur, vnde organa vrinaria tam immenſem ducant vrinae multitudinem. Plures, vt vllam inueniant theoriam, vaſa lymphatica ex ſtomacho in renes fluida immediate deducentia, accipiunt. Quum vero ſtructura vaſorum reſorbentium valuularum retrogreſſus, qui hac explicatione eſſe debeat, plane impediatur, prae-

*) Eph. nat. cur. d. ec. II. ann. 2. obſ. 124.

praeterea anatomia accepta vaſa nunquam oſtenderit, hoc modo nihil eſſe explicatum, quisque, qui parum profecit in anatomia, confitebitur. Quibusnam de cauſſis, partes corpori deficientes ſimulare volumus? inprimis, quum ad hanc rem explicandam non ſint neceſſariae. Potiones enim immutatae nequaquam exinaniuntur. Verum omnis nutriens lympha et ſerum totius corporis vaſis lymphaticis, nimia incitabilitate aegretantibus, ad renes modo irritatos, modo relaxatos ducitur. Vaſa ſerifera vel reſorbentia in diabete tanta ſunt efficientia, vt non ſolum omnia in corporis cauitatibus vix exhalata mox reſorbeant, ſed etiam fluida aëris atmoſpherici inſugant. Praeterea cutis conſueta caret diaphoreſi, quae etiam per conſenſum eiusdem cum omnibus viſceribus per renes aut nimis irritatos aut relaxatos penſatur. Ex oris, ſtomachi ac inteſtinorum cauitate et ipſa externa ſuperficie, omnibus ſeroſis fluidisque exſugitis et fames et ſitis maxima neceſſario cauſſari debet. Inde ariditas cutis atque ardor ventriculi eſt explicandus; inde hunc morbum in tabem mox transire, accipere poſſumus. Nam qua ratione, quum omnia nutrientia renibus adfluant, corpus ali poteſt?

§. VII.

§. VII.

De Diabetes ſpeciebus.

Quicunque, ex omnibus narratis ſymptomatibus, eadem inter ſe eſſe contradicentia, facile intelliget. Vrinam diabeticam interdum obſeruari claram et pellucidam, interdum non pellucidam et turbidam, inter alia narraui. Quum ſententiam plerorumque ſcriptorum, quorum alii cauſſam diabetes proximam, tantum in relaxatis, alii ſolum in irritatis renibus quaerunt, nos non approbare poſſe, me perſuaſum habeam; illis conſiſtentiis vrinae deſcriptis ſymptomatibus ſtipatis commotus duas ſpecies, diabetam torpidum, a renum relaxatione et ſpaſticum, ab irritamento orientem inſtituam. Experientia enim docet, vrinam omnibus in morbis nimia incitabilitate orientibus, claram eſſe et pellucidam, in malo hypochondriaco puta et hyſterico ac in febribus neruoſis acutis aliisque eiusdem generis. Eo vehementiores ſunt ſpasmi, quo pellucidiorem vrinam inuenire ſolemus. E contrario in omnibus a relaxatione debilitateque ortis morbis, e. g. in marasmo ſenili et ceteris hoc modo cauſſatis, non pellucidam et turbidam inuenimus. Quod non ſolus ego tanquam medicinae hoſpes, ſed etiam clariſſimi Viri obſeruarunt. An

diabetam in illas ſpecies diuidens ius habeam, vnius cuiusque lectoris iudicium eſto. Nunc liceat mihi, illarum ſpecierum ſymptomata ſingulatim deſcribere.

§. VIII.

Symptomata diabetes ſpaſtici.

Diabetes ſpaſticus per prodromos a torpido inprimis diſcernitur. Nonnunquam ſtatus febrilis huic ſpeciei aut antecedit aut eam comitatur. Plerumque aegrotus antea per longum tempus iſchuria vehementiſſimis renum doloribus coniuncta, laborauit. Cui internae terribiles anxietates, ardor feruens viſcerum, pulſus durus et ſpaſticus, ariditas cutis, extremitatum conuulſiones, perpetuum peruigilium ſitisque maxima aſſociantur, et, vt paucis dicam, omnes prodromos antea deſcriptos animaduertimus. Interea aegrotantes appetitum amittunt et deglutitio ſit tam difficilis, vt ſolidis alimentis frui nequeant. Cauitas oris ſemper eſt ſicca et ſaliua tenax ac ſpumans. Fere nunquam dormire poſſunt, quoniam omnibus momentis vrgente vrina excitantur. Tota cutis ſuperficies eſt ſicca et aſpera, atque furfuribus ſparſa eſſe videtur.

Pul-

Pulſum veſpera praecipue intentum et durum inuenimus. Et reſpirationem patiuntur difficilem, cui ſicca vehementiſſimaque tuſſis accedit. Conuulſiones inter prodromos dictae perdurant et vltimo in totum corpus propagatae, fiunt epilepſiae ſimiles. Tendines quoque ab eisdem non parcuntur. Aegroti in delirium incidunt, aut ſpamo oeſophagi vehementiſſimo, qui in hydrophobiam transiiſſe dicitur, moleſtantur; immo lingua nou parcita manet; infelices enim bulbutiunt, aut ab aliis linguae vitiis inuaduntur. Vllo modo corpore irritato, quod ſententiam meam praeſertim confirmat, quantitas vrinae augetur. Fluxus a meridie vsque ad mediam noctem ſemper eſt frequentior, quam ab hac ad illam. Denium in cute maculae, exanthemata perrumpunt, aut oedemata crurum pedumque apparent. Nonnunquam dolores inflammatorios viſcerum, modo in theracis, modo in abdominis cauitate iacentium, paululum ante mortem ſentiunt.

§. IX.

Symptomata Diabetes torpidi.

Diabetes torpidus longinquiorem habet decurſum. Quodſi aegros ſine prodromis

plerumque inuadit, tamen atrabilarii aut pituitosi infarctus abdominis cum grauibus alui obstructionibus nonnunquam eum praenunciant. COHAVSEN *) fluxu coeliaco eumdem coniunctum vidit. Aegroti nullo renum dolore sed sensu, quasi aqua frigida in vesicam destillet, et praesertim, si antea affectibus haemorrhoidum laborauerint, tenesmo queruntur. Lotium est turbidum et saepe colore lacteo, atque velut abrosa in eo circumnatant. Vnum aut ambo crura torpescunt. Interea concoctio, vt in spastico, non afficitur, sed fame vehemente cum acidis ructibus laborant. Aut sitis nulla aut leuior adest, quam in diabete spastico. Pulsus est debilis, quocum paralysis, coecitas surditasque coniunguntur. Non raro demum hydropes, fluxum vrinae quidem imminuentes, sed nequaquam haemorrhoidibus criticiores, nascuntur.

§. X.

De caussa diabetes proxima.

De caussa diabetes proxima medici ita inter se certarunt et hoc tempore adhuc cer-

*) Nov. act. nat. cur. Vol. II. c. 11.

certant vt nefciamus, quorum teneamus fententiam. Alii relaxationem, alii irritationem effe renum, putant; alii in ipfo fanguine corrupto eam quaerunt. Ceterarum innummerabilium fententiarum ne mentionem quidem facere volo. Equidem credo aut in renibus relaxatis, aut irritatis, nimia incitabilitate vaforum reforbentium totius corporis coniunctis, effe quaerendam. Renes irritati omnes nutrientes fuccos fibi neceffario adliciunt; relaxati, eorum vafis non fufficienter in fanguinem redigentibus et plus accipentibus, quam ad praeparandam vrinam adhibere poffunt, congeftiones ad fe gignunt. Quae cum ita fint, mente complecti nequeo, cur tam multi medici, hunc morbum femper effe indolis fpafticae, praetendant? An diabetam fpafticis et emollientibus femper curemus? Nonne medicamina excitantia atque tonica hic maximam interdum praeftant vtilitatem? Quae quaeftiones lectoris refponfioni relinquo. Sicut phthyfeos pulmonalis pituitofae cauffa proxima eft atonia pulmonum et hoc malum eamdem habet.

§. XI.

De cauffis occafionalibus.

Diabetam fpafticum omnia irritamenta organorum vrinariorum producere folent

Per

Per abuſum ſpirituoſorum aut diureticorum gignitur. Scoti, fortibus cereuiſiis viniſque abutentes, ſaepius, quam aliarum regionum incolae, ab hoc malo inuaduntur. Baccae iuniperi, recens betularum ſuccus et aromata ſimiliaque, cauſſae huius morbi incuſantur. Vermes quoque, cauſato neruorum abdominalium irritamento, anſam dant diabetae ſpaſticae. Et obſtructiones abdominis hypochondriacorum hyſtericarum ac Arthriticorum ad hunc gignendum morbum multum conferunt. MORTON *) dentitione morboſa ortum obſeruauit. A frigeratione originem ducere poſſe, exemplum narrat RICHTER **). Cauſſae diabetes torpidi ſemper ſunt debilitantes. Poſt febres acutas, morbos ſyſtema neruoſum afficientes, morbus ſecundarius naſci ſolet. In pinguibus hydropibusque poſt fluorem album, ex debilitate eum multi viderunt. Et nephritis eſt ſaepe eiusdem cauſſa. Tandem omnes oppreſſae excretiones ambarum ſpecierum cauſſae ſunt conſiderandae, e. g. defectus fluxus menſtrui, haemorrhoidum conſuetarum, transſpiratio ſuppreſſa. At cauſſa praediſponens, fortaſſe propria renum debilitas, omnino praecedere debet.

§. XII.

*) Phthyſiol. libr. I. c. 8.

**) *Med. und chir. Bemerk. S. 78. bis 79.*

§. XII.

De diagnoſi.

Diſcrimen inter diabetam et alios morbos euidentius eſt, quam vt de eodem aliquid dici poſſit. Quod autem ad diſcernendas ipſas ſpecies attinet, ſpaſtica praecipue per prodromos, vrinam pellucidam, conuulſiones totius corporis, pulſum durum et intentum, ſitim vehementiſſimam, laeſam concoctionem, a torpida, vbi concoctio laeſa nou adeſt, pro qua aegris, deficiente ſiti, eſt fames ardens, pro conuulſionibus paralyſes et pulſus debilis, diſtinguitur.

§. XIII,

De Prognoſi.

Ex dictis perſpicuum eſt, quam triſtis plerumque ſit diabetes prognoſis. Dantur puidem Exempla nonnullos hoc malo laborantes, fauentibus rebus, eſſe curatos; attamen vero plerique horum infelicium eidem ſuccumbunt. Nec temperamento nec generi parcit; ſed ſaepius homines maſculinos, quam femininos inuadit. Protatoribus

toribus grauiorem esse quam aliis, plures praetendunt. Adueniente febre hectica, omnis spes euanescit; quamquam aegrotus per vnum annum non raro vitam degit. Notum mihi est exemplum, aegrotantem, curato diabete, inter gratulantes amicos mortuum esse. Amat recidiua, quibus multi, qui curati habentur, intereunt. Dolores viscerum inflammatorii, paralysis, coecitas surditasque mortem instantem indicant.

§. XIV.

Quid sectiones cadauerum demonstrent?

Sectis diabete mortuis, renes immutati saepe, sed plerumque laxae, mollis, spongiosaeque structurae, partim absumti sine vlceribus, inueniebantur; quem statum vasa resorbentia haud dubie produxisse videntur. Nonnunquam vsque ad substantiam corticalem tunicamque adiposam ab interno exsugiti visi sunt. In nonnullis et calculos, tumores mesentericos, obstructiones hepatis aliorumque organorum reperierunt

runt*) Haec ſunt notabiliſſimae ſectorum obſeruationes, quae quidem nec minus, quam vllam theoriam affirmant. Etenim haec et aliis morbis in occiſis obſeruamus. Plurimi cauſſam in relaxatione renum ſemper eſſe quaerendam, putantes, deſtructis renibus argumento vti volunt; ſed ex modo dictis narratas obſeruationes ſententiae illorum, nequaquam reſpondere, facile compraehenditur.

§. XV.

De curatione in vniuerſum.

Medicamina contra diabetam commendata ſunt innumerabilia. Eheu! quam inenarrabilem multitudinem iamiam noſtri maiores contra hoc terribile horrendumque malum adhibuerunt! quae multitudini curatorum nequaquam reſpondet, illorum enim pauciſſima optatas vires exſeruerunt et nonnulla, fortaſſe efficacia, inter tam multa oculis praetermiſerunt. Medicinae ſcientiam, eo pluribus remediis morbi vllius iactari, quo eſſe inopiorem, quotidianae

*) Darwin *in Sammlung f. pract. Aerzte*, B. 6. S. 288. Baillies' *Anatomie des Krankh. Baues*, S. 160.

nae affirmant experientiae. In diabete medici tam multa et ita inter ſe differentia commedarunt medicamenta, vt eorum efficaciam haudquaquam explicare poſſimus. Secundum varias acceptas theorias, modo excitantia, tonica, adſtringentia, anodyna emollentia; modo lithontriptica, reſoluentia, ſtomachica, ſudorifera, immo antiſeptica ac purificantia ſunt adhibita. Itaque alumine, aut inpulueris forma aut in ſero lactis ſoluto, vſi ſunt; aut limaturam martis, aquas martis particulas continentes, corticem peruuianum quercinumue, radicem hei, gummikino, immo tincturam cantharidum, vsque ad guttas triginti aqua dilutam ſumi iuſſerunt. Quibuscum remediis, in aqua frigida balneari et renes ligamentis conſtringi plures commendarunt. Alii aquae calcis; alii medicamentis obſtructiones viſcerum auferentibus; alii amaris maximam tribuerunt virtutem; alii ſudorifica, inprimis Doueri puluerem magna in doſi, et balnea calida laudarunt; alii vel oleoſis cutem, ne vaſa reſorbentia aëris fluida inſugere queant, obleuerunt; alii cuprum ammonicum, aſſam foetidam, gummi myrrhae et camphoram multis laudibus ornauerunt. Et opium mercuriumque optimo fuiſſe effectu, plurimi medici affirmant. Nonnulli tincturam cantharidum diabetes ſpecificum

exi-

exiſtimauerunt. Mihi autem non comprehendi poſſe videtur, quomodo vllum medicamen praeſertim illud, vehementiſſimum diureticum, diabetes tam variis e cauſſis nati, nomine ſpecifici dignum exiſtimare velimus. Omnino mihi eſt perſuaſum illum, qui in ſpecies inſtitutas torpidam ſcilicet et ſpaſticam, non reſpiciat, huius morbi curae contradictiones certo non eſſe ſublaturum. Etenim medicamenta huic aegroto ſalutaria, illi maximum adferre damnum videbit. Ita BADER *) et OESTERDYK **), illi clariſſimi viri, falſi ſunt. Igitur curationem illarum ſpecierum ſingulatim tractabo.

§. XVI.

Curatio diabetes ſpaſtici.

Quum in hac ſpecie renes, ſyſtema lymphaticum et paene totum corpus ſpasmodice eſſe irritatum, ſupra deſcripta ſymptomata clariſſime demonſtrent; omnibus adhibendis medicaminibus vires antiſpaſticae eſſe debent. Antea cauſſas occaſionales in-

*) *Erholungs-Stunden eines Arztes* S. 31

**) *Sammlungen f. pract. Aerzte* B. I. St. 2. S. 179.

inueſtigandas et amouendas eſſe, ex re ipſa patet. Quamobrem opio, valeriana, Belladonna, cupro ammoniaco, floribus zinci, extracto hyosciami, ledi paluſtris infuſo vti poſſumus. Opium cum nimiam vaſorum reſorbentium incitabilitatem, ſpasmosque totius corporis optime mitiget, hic eſt efficaciſſimum. Si diarrhoea, qua aegri valde laſſantur, aduenerit, opium, motum periſtalticum impediens, maxime eſt indicatum. Aegrotantes balneis calidis propter eorum vim antiſpaſmodicam et diaphoreticam quotidie vti debent. Oleoſa, quibus cutem oblinimus, vaſa reſorbentia in inſugendo fluida äeris impedientia forte applicari poſſunt; quamuis non multum de eorum vtilitate eſt exſpectandum, nam aër conclauium fluidis non tam praegnat, vt per auctos corporis ſuccos ad cauſandas verſus renes congeſtiones adferant. Omnia corporis irritamenta ſunt euitanda. Iis, qui obſtructione alui laborant, cliſteribus ex infuſo chamomillarum et oleo ricini auxilium ferimus. Ad tollendam vehementem tuſſim opium quoque, laudanum liquidum Sydenhaami et ſpiritus Mindereri inſeruiunt. Multum intereſt, defectum appetitum reſtituere. Hinc amara, extractum gentianae rubrae, extractum cardui benedicti, anguſturae aliaque, inprimis quaſſia et cor-

tex

tex peruuianus regius in hac ſpecie grauisſima ſunt medicamenta. Quae quidem, tuſſis, obſtructio alui et defectus appetitus, ſymptomata ſunt; attamen vero, aegros partim moleſtantia, partim laſſantia, maxima attentione medicorum digna ſunt. At ſuſtentandas vires in hoc longinquiſſimo morbo omnibus antiſpaſticis corticem peruuianum vtiliſſime adponimus. Diaeta nutriens eſſe debet. Alimenta quidem non excitantia, e. g. iura carnis, caro vitulina, gallorum ferarumque aſſa, ſunt eligenda, quoniam per vrinam multum lymphae coagulabilis euacuatur. Quum diabetici interrogati, quid ſitim optime ſedet? quodam inſtincto moti, vinum, respondeant; potione quotidiana eodem multa aqua diluto, frui iuberem. Experientia enim docet, vinum, fluida retinens, ſitim maxime ſedare. In diabete tranſſpiratione ſuppreſſa orto, ſudorifera, tinctura guaiaci volatilis, mixtnra ſimplex camphorata, praeſertim puluis ſudorificus Doueri, balnea vaporis, mox conſulto medico, ſunt indicata, quae, niſi initio adhibeantur, ne minimam quidem diaphoreſin efficiunt; nam in diabete, qui longe perdurauit, et efficaciſſima ſudorifera ad efficiendum ſudorem nihil valent.

§. XVII.

§. XVII.

Curatio diabetes torpidi.

Aegrotantes torpida grauiſſima diabetes ſpecie, methodo a comemorata differente tractari debent. Hic non illae conuulſiones, pulſus ſpaſticus et intentus, ſed omnia maximae debilitatis ſymptomata animaduertuntur. Hac in ſpecie ad excitantia tonicaque confugimus. Hic opium, parua in doſi, moſchus, camphora, ſerpentaria virginiana, flores arnicae, cortex Peruuianus, ipſa tinctura cantharidum, maximam praeſtant vtilitatem .Tinctura cantharidum, cum excitans diureticum congeſtiones paſſiuas verſus renes relaxatos imminuat, in diabete torpido omnino debemus; in diabete ſpaſtico autem ſemper nocet. Quum per multum nutrientis lymphae per turbidum lotium exinaniatur; alimenta hic praecipue, nutrientia eſſe debent. Liceat aegris ſupra nominatis carnibus et vino modice frui; quamquam Rollo *) vinum in diabete, propter frrmentationem improbat; tamen, quum eadem in corpore viuo non poſſit cogitari, reliquarum virtutum dictormque argumentorum .cauſſa, idem in hac ſpecie maximae eſſe vtilitatis, me certum ha-

*) De diabete mellito.

habeo. Stomachica non ſunt neceſſaria; quia ipſum appetitum habent morboſum. Potionem decoctum hordei cum ſucco citri et ſacharo vsque ad gratum ſaporem mixtum, commendarem. Tenesmum epithematibus ex vino rubro feruido mitigandi, operam damus.

Copioſius de hoc morbo ſcribere, peritioribus relinquo.